

§. 1. Salva tamen postmodum extra Dominium (executis videlicet exequendis) Jus suum cuique Partium, modis omnibus legitimis ulterius prosequendi, vel vero per Novum, vel Appellationem reformandi, facultate.

*Sua Majestas negotium pretii Arcis Dubowacz, et aliarum praeensionum; cum Domino Comite Bano, se accomodaturam benigne offert.*

### Articulus 109.

Summas deinde suae Majestati Regnicolae habent gratias; quod sua Majestas de pretio Arcis Dubowacz, in publicam Praesidii Carlostadiensis ac totius Regni, vicinarumque Provinciarum utilitatem conversae, ac de aliis etiam conjunctis Domini Comitis<sup>\*</sup> Bani Nicolai, Perpetui a Zrinio et suorum Antecessorum praeensionibus, in benigna litera Rudolphi olim Imperatoris ac Regis obligatoria, uberius declaratis, condignam commendationis Regnicolarum rationem sese habitaram; eidemque Comiti Bano, tum ob merita ipsius, tum in Gratiam Fidelium Statuum et Ordinum, pro aequo se gratificaturam clementer obtulerit: Imo de opportunis etiam mediis ea in parte tractandis, iisdemque suo tempore specificandis, benigne sese resolvere dignata sit.

LEOPOLDI I. IMPER. & REGIS, DECRET. SECUNDUM, ANNO DOMINI 1662.

Articuli DD. Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium.

*De subsidiis externis: Et solutione Praesidiariorum in Regno Sclavoniae: Et eductione Germani Militis, ex Arce Varasdiensi.*

### Articulus 3.

Status porro et Ordines Regnorum Croatiae et Sclavoniae, de externis suaे Majestatis et vicinarum Provinciarum subsidiis Militaribus, tempore aperti duntaxat Belli subministrandis; ac de veterano tam Germano, quam nativo Milite, in praesidiis illorum Confiniorum constituto ac per Inlytas vicinas Provincias exolvi solito; referunt se ad posteriores paragraphos Art. 85. Anni 1659. et ad ultimum paragraphum Artic. 2. Anni 1649. eosdemque observari demisse postulant.

§. 1. Articulus vero 99. Anni 1659. et alii ibidem citati, de eductione Militis in Arce Varasdiensi collocati, in suo vigore maneant et effectuentur.

*Regnorum Croatiae et Sclavoniae insurgendi modus.*

### Articulus 6.

Regnum porro Croatiae et Sclavoniae, quoad exercituationem, refert se ad